

rum species quid est gravissimum? *Al.* Aurum, opinor. *Cu.* Heic abs te vehementer dissentio. *Al.* An scis aliquid auro gravius? *Cu.* Scio, & quidem multis partibus. *Al.* Proinde me vicissim doce, quando scis quod me nescire profiteor. *Cu.* Quod igneos illos spiritus è summo cœli vertice depressit in ima Tartari (nam ea collocant in centro terræ) nonne oportuit omnium esse gravissimum? *Al.* Fateor: Sed quidnam fuit illud? *Cu.* Peccatum, quod & hominum animas, quas Maro vocat aurai simplicis ignes, eodem demergit. *Al.* Si libet ad istud Philosophiæ genus demigrare, fateor & aurum, & plumbum esse plumæ levitatis, si cum peccato conferatur. *Cu.* Qui fiet igitur, ut qui hac sarcina sunt onusti, subvolent in cœlum? *Al.* Profecto non video. *Cu.* At qui sese parant ad cursum, saltumve, non solum quidquid est oneris abjiciunt, verum etiam contento spiritu sese reddunt leviusculos; & ad hunc cursum saltumque, quo ferimur in cœlum, non studemus illud abjicere, quod omni saxo, omni plumbo gravius est. *Al.* Faceremus, si vel micam sanæ mentis haberemus.

*Epicureus.*

\* HEDONIUS, SPUDÆUS.

*He.* **Q**uid venatur meus Spudæus, quod sic totus incumbit libro, nescio quid secum

Hedonius] *Collatio honesta ac turpis voluptatis.*  
 Hedonius, voluptuarius, *ἡδονῆς τῆς ἡδονῆς*, hoc est, à voluptate, nomen habet. Spudæus, frugalis, honestus, studiosus, virtuosus, ut ajunt.